



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

74. An si mandans, vel consulens revocet mandatum, vel consilium incurrat adhuc excommunicationem, si delilctum, hoc non obstante, committatur? Et quid, si revocatio non innotescat mandatario? Et ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

cumque non denunciatis simul orant, vel Concionem sacram, aut Missam audiunt, more, & ritu verè Catholico, vel eorum funus comitantur, eosque ad sepulturam deducunt, quando sepeliuntur more Hæreticorum. Quia hæ communicationes, cum sint in rebus licitis, licite omnino sunt, quantum est ex rei natura; neque sunt illicitæ ratione excommunicationis, & censuræ, cum hæc non operetur obligationem vitandi, etiam in divinis, nisi sequuta denunciatione. Et quemadmodum licitum est comitari excommunicationem viventem, non denunciatum, eumque deducere, quocumque voluerit: ita & est licitum comitari jam mortuum, ejusque funeri adesse, eumque deducere ad sepulturam; cum universaliter licitum sit in iis omnibus communicare defunctis, in quibus est licitum communicare vivis, cap. *Sacris de sepult.* cap. *Ad hæc, de privil.* Sed hoc advertit Baldellus procedere, dummodo sepultura non fiat in loco sacro: quia, ait ipse, licet excommunicatus quicumque non denunciatus non sit vitandus in sepultura, aut in funere, quando est mortuus; sicut nec fuit vitandus, sive in divinis, sive in humanis, cum esset vivus, ut paulo ante diximus ex cap. *Sacris de sepult.* & cap. *Ad hæc de privileg.* vitandus tamen omnino est, quando funus, & sepultura fit in Ecclesia, aut loco sacro; non, quia hæc obligatio inducatur per excommunicationem non denunciata à iudice; sed quia inducitur ex ipsa rei natura, ex qua malitiam contrahunt, & digni sunt morte, non solum qui mala faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, ut patet ex Apostolo ad Rom. 1. quod certè est verum, etiam præscindendo ab excommunicatione, & sive illa sit denunciata, sive non. Vnde ex his patet responso ad argumentum adductum ab Henriquez.

Sup. hoc sup.
in fine ref.
70. & in
ref. 71. §. vlt.
ad medium.

4. Si autem inquiras, an Ecclesia, in qua sepelitur Hæreticus, modo quo *supra*, remaneat polluta? Respondeo negativè: quia execratio, vel profanatio Ecclesiæ, aut loci sacri per sepulturam excommunicati, ea tantum de causa inducitur in sacris Canonibus, quia non debemus communicare mortuo, cui non communicavimus vivo, cap. *Sacris*, & cap. *Ad hæc, cit.* & idè nec debemus celebrare Missas, & divina Officia, ubi ille jacet mortuus, & tumulatus: sicut nec debuimus celebrare, ubi ille extitit vivus. Ex his inferitur, quòd non inducitur dicta execratio, vel profanatio Ecclesiæ, aut loci sacri, nisi per sepulturam excommunicati vitandi, cum quo solo ratione excommunicationis prohibemur modo communicare in divinis, post Extravag. *Ad evitanda*. Et ita hanc sententiam tenet Baldellus, *loc. cit.* firmans ex supradictis, quòd per sepulturam Hæretici excommunicati non vitandi, non execratur, nec profanatur Ecclesia, aut locus sacer.

Sup. hoc in
tom 2. tr. 8
ref. 4. & lege
§. ejus an-
not.

5. Notandum est hic obiter cum Trullench. *tr. de jure Parochie*, c. 9. dub. 6. n. 10. quòd si aliquis reperiretur mortuus in puteo, vel laqueo suspensus, non est statim privandus Ecclesiastica sepultura: quia, ubi non constat, quòd seipsum interfecerit, vel precipitaverit, non id est præsumendum, cum potuerit per insidias, aut vim in puteum projici, vel suspendi, aut ex furore, seu mentis alienatione id facere.

RESOL. LXXIII.

An Sacerdotes in domibus suis audientes Lectorem legum, vel medicum incidant in excommunicationem?

Et quid de Regularibus?

Et quid est dicendum si supradicti studeant legibus civilibus in scholis publicis, quatenus conducunt, vel possunt conducere ad notitiam Canonum?

Et an hoc intelligatur in foro interiori, nam in foro exteriori semper præsumuntur excommunicati?
Et an Diaconi, & Subdiaconi non comprehendantur subdita prohibitione, & excommunicatione, nisi sint personatus. Ex part. 3. tr. 5. & Milc. 1. Refol. 17.

§. 1. Affirmativè videtur respondendum ex aucto. Bonitate Filiucci, *com. 1. tract. 14. cap. 7. num. 103.* & Suarez, in *censur. disputat. 23. sect. 3. numer. 19.* & aliorum.

2. Sed tu contrariam sententiam tene, quam docent novissimè Barbosa, in *collect. tom. 1. lib. 3. tit. 10. cap. vlt. num. 3.* Squilante, de *obligat. cler. part. 2. dub. 8.* Homobonus, de *statutis p. 1. c. 18. num. 6.* Gambartupa, de *casibus reserv. c. 9. n. 6.* Villalobos, in *summa, tom. 1. tr. 17. diff. 28. n. 4.* & Sanctarellus, *tr. de Apost. cap. 2. dub. 3. num. 21.* & alij penes ipsos. Dico igitur, in excommunicationem latam in cap. super *specula, ne Clerici, vel Monachi*, &c. non incurrere Sacerdotes seculares, & Regulares habentes privatim in domibus suis lectorem legum, vel medicinæ, qui eos doceat privatim has facultates.

3. Imò nec incurrunt hanc excommunicationem prædicti, si studeant legibus civilibus in scholis publicis, quatenus conducunt, vel possunt conducere ad notitiam Canonum. Ita Sanctarellus, *loc. cit.* & Barbosa, *n. 7.* & Squilante, de *oblig. cler. part. 2. dub. 18. n. 17.* & alij penes ipsos.

4. Sed nota hoc verum esse in foro interiori, nam in foro exteriori præsumerentur excommunicati. Notandum est etiam, quòd Diaconi, & subdiaconi non comprehenduntur sub dicta prohibitione, & excommunicatione, licet beneficium habeant, nisi sit personatus. Ita DD. citati.

RESOL. LXXIV.

An si mandans, vel consulens revocet mandatum, vel consilium, incurrat adhuc excommunicationem, si delictum, hoc non obstante committatur?

Et quid, si revocatio non innotescat mandatario?

Et quid est sentiendum de irregularitate?

Et an teneatur restituere damna ex tali homicidio emersa?

Et si mandans homicidium mortuus fuerit, antequam mandarius occideret, non contrahat excommunicationem, quæ solum ligat viventes, non autem defunctos?

Ex part. 5. tr. 9. Ref. 8.

1. 1. Affirmativam sententiam docet quoad consilium Bonacina, de *cens. in com. disputat. 1. quest. 1. punct. 6. num. 7.* Molina, de *Iust. tom. 4. disput. 32. quest. 1. n. 35.* Avila *part. 2. c. 5. disp. 3. dub. 7.* Sayrus, *lib. 3. c. 26. n. 33.* & novissimè Hurtado, de *cens. in com. disp. 1. §. 15. num. 67.* quia per revocationem, seu per rescissionem ex se efficacem cessat, imò destruitur inobedientia habitualiter perseverans. Ecclesia autem supposita institutione censurarum, vel non potest valide, vel non intendit ligare censura eum, qui ante incursionem jam non est inobediens adhuc habitualiter, sed penitens efficaciter, sicut etiam debet absolvere à censura incurra eum, quem efficaciter

Et ejus absolutione. Resol. LXXV. &c. 49

ter quantum est ex se, pœniter inobedientiæ factæ, & hæc omnia docet Hurtado, *vbi supra*, & novissimè *Cælest. in comp. Toool. mor. tr. 3. c. 9. d. ffic. 6.* vbi sic ait. Verum qui consuluit homicidium Clerici, & postea retractavit scidò consilium, & retractatio pervenit ad eum, cui factum est consilium, sequuto homicidio incurrerit in excommunicationem & irregularitatem, & an teneatur restituere damna, ex tali homicidio emersa? Respondetur quod non, si adhibuit omnem diligentiam, ut prius consilium everteret, vel ostenderet, omnibus consideratis, esse iniquum, & non amplectendum, quia in eo casu non videtur executor ipsius consilio moveri, sed potius sua malitia. Vnde sequitur quod huiusmodi consulens nec incurrit excommunicationem, neque irregularitatem, neque obligationem ad restituenda damna, quod idem dicendum de mandante, qui ante factum homicidium revocavit mandatum, & revocatio pervenit ad notitiam mandatarij, quod revocatio non innotescat mandatario, incidit in excommunicationem sequuto homicidio, & consequenter contraxit irregularitatem & obligationem restituendi omnia damna; si verò mortuus fuerit priusquam mandatarius occideret, non contrahit excommunicationem, quæ solum ligat viuentes, non autem defunctos. Ita Cælestinus, & quia hic casus frequenter potest accidere, diligenter notandus est ab omnibus Confessariis.

RESOL. LXXV.

An censura lata contra facientes comprehendat mandantes, aut consulentes?

Et aliqua alia circa hoc notantur; & tandem advertitur quod non ligatur excommunicatione, qui paratum occidere Clericum, consulit tantum percutere. Ex par. 5. tract. 9. Resol. 77.

Affirmativè respondet Panorm. in c. significavit, de Indais, n. 2. Sylvest. ver. excom. 10. q. 40. Rotella, eod. ver. i. cas. 43. num. 21. & ratio est, quia facientes & contentientes, pari poena debent puniri. Secundo, nam in c. mulieres, de sent. excom. dicitur quod illi qui non per se ipsos, sed eorum auctoritate vel mandato alij violenter imponunt manus Clerico, incurrunt excommunicationem Canonis, & redditur ibi ratio, cum is verè committat, cuius auctoritate, vel mandato delictum committitur. Tertiò, nam quod per alios facimus, per nos facimus.

2. Sed tu contrariam sententiam tene cum Avila par. 2. c. 5. diff. 3. dub. 1. concl. 1. Portel in dub. Regul. ver. excommunicare, n. 7. Finellio, de cas. referu. cas. 4. n. 20. Altacio tom. 1. lib. 3. diff. 2. c. 2. Vgolino, tab. 1. c. 9. §. ult. Covar. in c. Alma mater, part. 1. §. 10. n. 15. Suar. diff. 13. §. 3. m. 5. Ioan. Henriq. in comp. cas. moral. c. 20. n. 10. Sanchez, de matr. lib. 3. diff. 49. n. 2. & aliis & ratio est, quia cum lex pœnalis sit odiosa, ejus verba stricte accipienda sunt, secundum propriam & rigorosam acceptionem: atqui qui mandat aliquid fieri propriè & in rigore non potest dici illud facere, quia mandare & facere sunt actiones distinctæ. Ergo non incurrit censuram latam in facientem, nisi exprimat. Tertiò, quia quando Pontifices volunt suis censuris comprehendere etiam mandantes, expressis & distinctis verbis illud declarant, ut patet ex c. ult. de penis in 6. & Clem. 1. rod. rit. & pluribus aliis iuribus quod non facerent, si mandantes semper comprehenderentur sub facientibus. Dicendum est igitur absolutè censuram latam in facientem aliquid, non ligare mandantem nisi hoc exprimat, saltem implicite, ut si excommunicetur committens homicidium, aut quacumque ra-

Toma. V.

tione ejusdem causa existēs, certum enim est tunc non solum mandantem, sed etiam consulentem comprehendendi. Sed cum hæc doctrina sit vera, tamen Coninch de Sacram. diff. 14. dub. 5. n. 188. excipit ab illa casum, nempe quando lex esset ferè frustratoria, si non comprehenderet mandantes, ut esset lex prohibens sepelire excommunicatum defunctum, si sola persona, quæ suis manibus sepelit, incurrat excommunicationem, & non id mandantes. Is tamen absque sufficienti fundamento excipit, ut in eo casu non habeat locum nostra doctrina supradicta, ob quam in cap. si civitas 17. de sent. excomm. in 6. necessarium fuit, ut interdictionem quo civitas interdicitur, etiam comprehenderet suburbia, quod Pontifex illud extenderet ad suburbia, quamvis esset ferè frustratorium, si illa comprehenderet, docet ita Hurtado, de censuris in excom. difficul. 14. n. 64.

3. Notanda sunt tamen hic aliqua. Dico igitur primò, quod quando sit dubium, vtrum in excommunicatione comprehendantur mandantes, seu consulentes judicandum est quod non comprehenduntur.

4. Dico secundo, quando excommunicatio extenditur ad consulentes, quando consilium est ita simplex ut non influat in effectum, quia alter erat alioqui facturus, & consilium non auxit voluntatem, nec conatum illius, non incurrit consulens. Et si petis quomodo cognoscatur vtrum consilium influxerit, vel ne? Respondeo ab ipso, qui recepit consilium, accipiendum est, & ex aliis conjecturis, scilicet si ille qui recepit consilium asserat se motum esse alioquo modo ex tali consilio, & voluntatem ejus auxitam fuisse, hoc sufficit, si autem hoc non possit sciri ab ipso, attendendæ sunt conjecturæ, nam si ego dedi consilium alicui ad aliquod delictum, & ille ardenti voluntate illud committit, statim signum est quod meum consilium influxit: at verò quando non exequitur statim, sed post multos dies, non potest ex hoc sumi certa conjectura, vtrum meum consilium influxerit, nam licet pro tunc, quando ego dedi consilium, forsan excitaverim, & intenderim ejus voluntatem, postea tamen transactis multis diebus potuit ille fervor elanguescere, & voluntas redire ad pristinum statum, in quo erat ante consilium, & tunc quamvis delictum committatur, ego non ero causa, ac per consequens non incurro excommunicationem: si autem facta diligentia, & consideratis omnibus circumstantiis, fuerit dubium, vtrum meum consilium influxerit in effectum licet quantum attinet ad restitutionem, non maneam ego obligatus, quia in dubiis melior est conditio possidentis, tamen quantum ad excommunicationem debeo me reputare excommunicatum.

5. Dito tertiò quod excommunicatio quæ extenditur ad mandantes non comprehendit eum, qui mandavit delictum fieri, si mandatus erat aliàs facturus delictum tam prompto animo, & tanto conatu, ac si sibi non esset mandatum, & hæc omnia invenies firmata apud Avilam *vbi supra*.

6. Nota etiam quod non ligatur excommunicatio ne qui paratum occidere Clericum consulit tantum percutere, quia non dicitur culpabiliter influere in effectum prohibitum sub censura. Nam ad illam incurrendam requiritur peccatum prohibitum sub censura, sed in nostro casu, qui consulit minus malum parato facere majus, non peccat; ergo, &c.

RESOL. LXXVI.

An licitum sit vendere Agnos Dei, & retinere illos sine incursione censurarum?

E E

Sup. hoc sup. in Ref. 71. §. 1. in fine.

Sup. hoc inf. in tr. 5. ref. 105. eursum in fin. & inferius in tr. 6. Ref. 23. §. Tertiò, in fin. & in tom. 8. tr. 5. Ref. 88. §. Sed an. & in aliis ejus annot.

Sup. hoc inf. in tr. 2. ref. 17. §. Sed hic & melius inferius in tr. 6. ex doctrina resol. 46. signanter ad med. & ex doctrina aliarum resol. ejus not.